

ipso enutriendam, et in divisionem hæreditatis cum filiis legitimis admit- tendam. Adde gravissima incommoda quæ subsequerentur, si forte res detegeretur; quod facile fieri posset, si proles, octavo mense a matrimo- nio contracto, enasceretur. Excipiunt plures, si, instantibus nuptiis, puella aliter, quam per matrimonium, famæ consulere non posset; quia tunc non teneretur tantum famæ detrimentum subire ad damnum temporale sponsi avertendum. Exceptionem probare videtur *S. Lig. n. 865.*

871. — *R. ad 3<sup>m</sup> Quæst.* Quid de agendi ratione Confessarii? Ex dictis satis patet, levius rem tractasse Confessarium BIBIANÆ, altum servando silentium. *Per se* non potuit eam absolvere, quin ipsi imponeret obliga- tionem statum suum sponso manifestandi, aut a sponsalibus resiliendi, ut dictum est. Attamen tantæ potuerunt esse angustiae pœnitentis, ut, ad ejus famam salvandam, aut etiam honorem familiæ conspicuæ servandum, nec- non ad ingens scandalum avertendum, eam in bona pace confessarius relinquere potuerit, aut etiam debuerit.

Utinam autem hujusmodi casus minus frequenter in praxi occurrerent! Quot sponsi invicem se decipiunt! Talibus nupturis ingeminandum foret effatum: *Nimum ne crede colori.*

## CASUS

## DE PROCLAMATIONE BANNORUM

SEU

*De obligatione et modo banna proclamandi, necnon impedimenta ma- trimonii cognita revelandi.*

## CASUS I.

OBLIGATIO BANNA PROCLAMANDI 1<sup>o</sup>.

EUGENIUS, Parochus, sponso proxime conjuncturus, tertiæ proclama- tionis in Missa solemnè faciendæ obliviscitur. Nuptiæ differri nequeunt; omnia enim sunt parata, et familia spectabilis jam est ex diversis locis coadunata. Quid igitur faciet EUGENIUS, his pressus angustis? An in Vesperis supplere poterit? an in Missa diei sequentis? an tubæ sonitu? an scripto ad Ecclesiæ valvas appenso? Post aliquam mentis fluctuatio- nem, judicat potius publicationem hanc tertiam omittendam esse, innixus principio: *Parum pro nihilo reputatur.*

Alias conjuncturus FLAVIUM et PULCHERIAM, ut optimos Christianos sibi notissimos, nullam præmittit proclamationem, quia ipse certo novit nullum matrimonii impedimentum inter eos subsistere; ex quo sic con- cludit: *Cessante fine legis, etiam lex ipsa cessare debet.*

HING:

QUER. 1<sup>o</sup> *An peccet graviter Parochus, si unam solam proclamatio- nem omittat?*

2<sup>o</sup> *Quid requiratur ad legitimam proclamationem?*

3<sup>o</sup> *An proclamatio fieri possit aliquando die feriali, aut scripto, sive præconis voce, aut in Vesperis?*

4<sup>o</sup> *Quid ad casum, seu an, vel quomodo in prædictis circum- stantiis peccaverit EUGENIUS?*

SOLUTIO:

872. — *R. ad 1<sup>m</sup> Quæst.* Probabilius affirmandum est, quia omittit partem valde notabilem præcepti sub gravi obligantis. Attamen opposita sententia probabilis vocatur a *S. Lig. n. 990. — V. Comp. n. 735.*

873. — *R. ad 2<sup>m</sup> Quæst.* Proclamationes fieri debent tribus diebus festis continuis inter Missarum solemnias. (*Conc. Trid. sess. 24, c. 1, de Reform.*) 1<sup>o</sup> *Diebus festis*, id est de præcepto. 2<sup>o</sup> *Continuis*, id est nullo die festo omisso. 3<sup>o</sup> *Inter Missarum solemnias*, id est, in Missa pa- rochiali. Plures dicunt non posse fieri proclamationes pluribus diebus festis, sibi immediate succedentibus, quia non suppeteret tempus fide-

libus denuntiationem faciendi, nec proinde obtineretur finis Concilii. Sed alii contendunt posse fieri proclamationes diebus festis, etiam sibi immediate succedentibus, quia Concilium nihil excipit. Hoc dicit probabile *S. Lig. n. 992*. Verum, ubi adsunt ordinationes episcopales id prohibentes, iis omnino standum est. *Gousset, n. 770*.

874. — *R. ad 3<sup>m</sup> Quæst.* 1<sup>o</sup> Proclamationes fieri non possunt, excepto casu extraordinario et de licentia Episcopi, nisi viva voce in Ecclesia, vel in loco pio, ubi adest magnus populi concursus. Attamen tempore pestis, si haberi nequeunt in Ecclesia, nec sponsi moram patientur, fieri possunt juxta plures, permittente Episcopo, per vocem præconis, vel per scriptum in loco publico affixum. Quod si recursus ad Episcopum non pateat, Parochus poterit sponso conjungere, omissis bannis, adhibita tamen diligentia, ut certus fiat nullum subesse impedimentum. *V. S. Lig. n. 990*.

2<sup>o</sup> Banna publicari possunt in Vesperis, si ex oblivione omissa fuerint in Missa solemni, nec absque gravi incommodo ad festum sequens remitti valeant.

3<sup>o</sup> Possent etiam probabiliter haberi die feriali, si ex aliqua causa magna fidelium frequentia concurreret, et adesset justa ratio. *S. Lig. n. 991-992*.

875. — *R. ad 4<sup>m</sup> Quæst.* 1<sup>o</sup> In primo casu EUGENIUS a peccato excusandus est, cum, urgente temporis angustia, unam proclamationem omiserit, quia lex Ecclesiæ non urget cum tanto incommodo. Attamen, juxta plures, omissionem in Officio vespertino supplere posset, si ante illud de ea recordaretur. Ita *Gousset, n. 771*. — *Bouvier, etc.* At si talis proclamatio insueta alicubi foret, et ideo magnam populi movere admirationem deberet, præstaret ut ea omitteretur. Verum EUGENIUS inniti non potuit in principio: *Parum pro nihilo reputatur*; quia, juxta multos, non excusaretur a peccato gravi, si unam proclamationem absque justa causa omisisset, et juxta benigniorem sententiam, a peccato saltem veniali immunis non evaderet: ergo falso axioma supradictum applicavit.

876. — 2<sup>o</sup> In secundo casu, EUGENIUS a peccato mortali immunis esse nequit. Ratio est, quia in re gravi transgreditur formam diligentiam a *Conc. Trid.* præscriptam, absque necessitate quæ moram non patitur. Præterea, neque satisfacit fini præcepti, quia, licet forte non sint hic et nunc impedimenta, postea tamen ante matrimonium supervenire possunt. *S. Lig. n. 990. V. Comp. n. 735*.

## CASUS II.

### OBLIGATIO BANNA PROCLAMANDI 2<sup>o</sup>.

1<sup>o</sup> RUTILIUS et SABINA, diversæ diœcesis, matrimonium sunt contracturi. RUTILIUS a suo Episcopo dispensationem obtinet a bannorum proclamatione. Parochus SABINÆ, re cognita, eo ipso judicat proclamationes etiam in sua parochia esse omittendas.

2<sup>o</sup> GENESIUS et PULCHERIA, sponsi, habitant eandem civitatem, sed in diversa parochia; habitis autem proclamationibus in parochia GENESII, Parochus LIVIÆ judicat hoc sufficere, ideoque a bannis proclamandis abstinet. GENESIUS autem duplex habet domicilium, in civitate scilicet, ubi tempore hiemali degit, et rure, ubi æstivo tempore commoratur. Parochus vero pagi, in quo sita est villa GENESII, etiam proclamationes prorsus omittit.

3<sup>o</sup> ACHATIUS, Parochus, sponso diversæ parœciæ benedicit, proclamationibus in sua parochia sola habitis, ex eo quod regio sponsi remotior sit ut ibi fieri proclamationes curet, et insuper nesciat ubinam fieri debeant, an in domicilio originis vel parentum, aut variæ habitationis, quam frequenter mutavit ille sponsus.

HINC :

QUÆR. 1<sup>o</sup> An, uno sponso a bannis dispensato, censeatur etiam alter dispensatus?

2<sup>o</sup> Si sponsi sint ejusdem civitatis, sed diversæ parœciæ, an banna in utraque parœcia haberi debeant?

3<sup>o</sup> Si vero sponsus duplex domicilium habeat, in urbe scilicet et rure, prout in secundo casu, an in utroque loco publicari debeant?

4<sup>o</sup> An valeant excusationes ACHATII in tertio casu, vel quid ipsi fuisset faciendum?

SOLUTIO :

877. — *R. ad 1<sup>m</sup> Quæst.* Negandum videtur. Ratio est, quia nulla datur connexio inter dispensationem unius et dispensationem alterius. Insuper, Ordinarius loci solus de causis dispensationis cognoscere potest. Plures tamen contradicunt, quia, aiunt: Episcopus qui partem sibi subditam a quadam conditione ad matrimonium prærequisita dispensat, eo ipso etiam compartem, licet non sibi subditam, solvit. In praxi recedendum non est a priori sententia, quæ in Gallia communius servatur, teste *Gousset, n. 775*. Excipe, nisi a Synodo provinciali aliter cautum sit, ut in provincia Albiensi factum fuit.

878. — *R. ad 2<sup>m</sup> Quæst. Affirm.* Ratio est, quia sponsi revera diversum habent domicilium. Banna enim prænuntiari debent in propria Parochia. Ergo, ubi diversæ sunt parochiæ, diversæ etiam fieri debent proclamationes. Ita fert generalis consuetudo et *Rituale Romanum*. Ergo erravit prior GENESII Parochus. Excipiunt plures cum *Layman* casum in quo parochiæ essent adeo propinquæ ut notitia proclamationis ab una ad alteram facillime deferri posset, quia tunc finis legis obtineretur.

879. — *R. ad 3<sup>m</sup> Quæst. Affirm.* si utrumque domicilium sit præcipuum. *Carrière, etc.* Ergo non recte egit etiam posterior GENESII Parochus.

*R. ad 4<sup>m</sup> Quæst.* Non valent ACHATII excusationes. Debit enim procurare ut proclamationes fierent in loco ubi diutius degit sponsus, seu in domicilio originis, atque ut testimonium authenticum de ejus statu libero haberet. Stante autem nimia difficultate ut banna in loco valde remoto

habeantur, res tota ad Episcopum deferenda est. *V. S. Lig. n. 991. — Gousset, n. 773.* — Parochus quoque ad Episcopum recurrere debet in dubio ubinam proclamationes habendæ sint.

## CASUS III.

## PAROCHUS ANCEPS.

1° THEOPHANIUS, Parochus, jam aderat in Ecclesia, paratus ad benedicendum matrimonium ROMANI et GERMANÆ, proclamationibus debitis, ratione GERMANÆ suæ parochianæ, præmissis. Sed ecce! cum postulasset a ROMANO extraneo testimonium scriptum de proclamationibus a proprio Parocho habitis, deprehendit duas tantum fuisse præhabitas proclamationes. Quid faciet? Non audens sponso dimittere, eos, hoc non obstante, statim matrimonio conjungit.

2° FULGENS, Parochus, sponso benedicturus, jam bannis ex utraque parte rite habitis, audit ex rumore communi, sponsum olim peccasse cum sorore ipsius sponsæ. Nullas quidem habet de re certas probationes, sed scandalum fidelium et Sacramenti periculum reformidat, et insuper non audet huic matrimonio obstare, cum nihil certum opponere queat. Tandem, ne intricatas sibi suscitaret querelas, tacitus conjungit sponso.

HINC :

QUÆR. 1° *An recte egerit THEOPHANIUS in primo casu?*

2° *An FULGENS laudandus in secundo casu, vel quid ipsi agendum fuisset?*

3° *An dubium vel probabilitas impedimenti sufficiat, ut Parochus matrimonium benedicere prohibeatur?*

SOLUTIO :

880. — *R. ad 1<sup>m</sup> Quæst.* THEOPHANIUS, stante casu ut jacet, recte egit ad nuptiarum celebrationem tacitus procedendo. Necessitate enim morali premebatur, et judicare merito potuit legem Ecclesiæ in eo casu non urgere. Sed, nisi impeditus fuerit, v. g. absentia sponsi, testimonium illud prius requirere debuisset ut tantum incommodum impediret. Bonum est autem ut Parochi suaviter inducant parochianos ad deferenda varia testimonia et instrumenta pridie celebrationis matrimonii, in ipsum presbyterium.

881. — *R. ad 2<sup>m</sup> Quæst.* Non ex omni parte laudandus FULGENS. Debuisset enim diligenter inquirere a personis prudentibus et fide dignis an fundamentum grave rumor ille publicus haberet, et ipsum sponsum hac de re secreto interrogare. Quid, si hic negasset, etiam adjecto juramento? Tunc ejus nuptias benedicere potuisset. *Per se* autem fama impedimenti sufficit ad nuptias impediendas, ut constat ex *Jure can. c. 12, de Spons.* Parochus igitur aut Episcopus, licet ipse solus habuerit impedimenti notitiam, modo id non sciat sub sigillo confessionis, matrimonium impedire tenetur. Nec obstat dicere quod peccatori occulto non liceat denegare

Sacramentum, quando publice petit. Hoc enim valet, cum aliud malum non evenit, nisi sacrilega perceptio Sacramenti; secus autem, cum eveniunt alia gravia damna quæ plerumque ex matrimoniis invalidis accidunt. *S. Lig. n. 999. Hom. apost. n. 56 et 57.* Vide dicenda infra, n. 890. — Ob difficultates autem in Galliis proprias, in tali casu Parochus ad Episcopum recurrere debet.

882. — *R. ad 3<sup>m</sup> Quæst. Affirmative*, si agatur de dubio positivo facti, quo stante, juxta omnes, illicitum est matrimonium contrahere absque dispensatione, saltem ab Episcopo obtenta, ne Sacramentum periculo nullitatis exponatur. *V. S. Lig. n. 902. — V. Comp. n. 789.*

## CASUS IV.

## OBLIGATIO REVELANDI IMPEDIMENTA 1°.

1° FABRICIUS, dubio agitatus, Confessarium interrogat circa obligationem quoddam impedimentum revelandi. Ratio autem dubitandi multiplex est, scilicet: 1° quia banna ex legitima dispensatione ommissa fuerunt, 2° quia sponsa est ipsius consanguinea, imo suamet soror; 3° quia ex revelatione impedimenti, seu ex omissione matrimonii cujus instat celebratio sequetur familiæ dedecus et aliorum scandalum; 4° quia ipse solus novit impedimentum, et testimonium unius tantum videtur infirmum. Confessarius tempus postulat ad inquirendum.

2° COCLES, matrimonium cum MARINA contracturus, jam proclamatis bannis, sub secreto jurato declarat FABIO amico suo familiarissimo, se cum sorore MARINÆ rem habuisse. Anceps autem postea FABIUS dubitare incipit an secretum suum, vel e contrario præceptum revelandi impedimentum servare debeat. Interrogat Confessarium, qui judicat servandum esse secretum.

3° HUPETIUS, medicus, artem suam erga MŒVIAM proxime nupturam exercendo, novit eam impedimento ligari cum suo sponso. Ipse autem tacet, ne fiduciæ erga MŒVIAM et ejus familiam jacturam faciat.

HINC :

QUÆR. 1° *An valeant FABRICII excusationes?*

2° *An FABIUS excusetur reapse ab impedimento declarando?*

3° *An HUPETIUS teneatur impedimentum revelare?*

SOLUTIO :

883. — *R. ad 1<sup>m</sup> Quæst. Neg.* Etenim: 1° non valet prima excusatio, quia lex Ecclesiæ jubens ut impedimentum matrimonii reveletur, existit, et urget independentem a proclamatione bannorum. Remanet enim semper finis præcepti, qui est impedire ne matrimonia invalida contrahantur.

2° Neque valet secunda excusatio; parvi enim refert quod sponsus vel sponsa tecum sint consanguinei necne, siquidem urget eadem ratio legis, seu matrimonii invaliditatem impediendi, et sic Ecclesiæ malum arcedi.

884. — 3° Neque valet ratio publici scandali. Licet enim aliquando sufficere illa possit Parocho, ut sponso, stante impedimento occulto, conjungat, ad privatos non pertinet de re tanti momenti judicare. FABRICIUS igitur rem totam Parocho, vel Episcopo committere debet. Ipsi autem Superiores, pro eorum sapientia et prudentia, judicabunt quid opportunius statuendum sit, ut tum Religioni et publicæ ædificationi, tum etiam honori familiæ consulatur.

4° Tandem, neque valet quarta excusatio. Ratio est, quia in præsentia materia testimonium unius bene valere potest. Etenim, si non inserviat per se solum ad matrimonium impediendum, inserviet ad inquirendum de facti veritate necnon ad monendum partes, aut unam ex ipsis, ad dispensationem petendam, etc. *S. Lig. n. 995.*

885. — *R. ad 2<sup>m</sup> Quæst. Neg.* Ratio est, quia secretum, sive promissum, sive commissum, etiam juratum, *per se loquendo*, non obligat quando damnum grave communitati, vel tertiæ personæ imminet. Revelatio autem impedimenti inservit bono Sacramenti, seu Ecclesiæ, et bono ipsorum contrahentium. Ergo male judicavit FABII Confessarius, secretum ipsi commissum ab eo servandum esse. Dixi, *per se loquendo*, quia Theologi plures excipiunt secretum *consilii*, ut mox dicitur. *V. Comp. n. 742.*

886. — *R. ad 3<sup>m</sup> Quæst. Probabilius* negandum est, quia HUPETIUS impedimentum novit sub secreto *consilii* scilicet, quia ab eo ratione artis suæ petitum est consilium, ex quo illud impedimentum rescivit. Videntur enim illi qui aliquam professionem publicam habent eximendi ab obligatione revelandi impedimentum, quod professionem suam exercendo noverunt. Ita videtur exostulare bonum commune; quia, si fidem non servent, facile homines a se avertent, cum suo et totius societatis damno. *Collet. — Bouvier. — Gousset. — Carrière, etc. — V. Comp. ibid.*

## CASUS V.

## OBLIGATIO IMPEDIMENTA REVELANDI 2°.

1° LEOCADIA confitetur se olim peccasse cum ANTONIO, futuro sponso sororis suæ. HUBERTUS, Confessarius, zelo percitus, præmissa seria objurgatione, ei præcipit ut statim extra confessionem impedimentum matrimonii, ex ipsius crimine exortum Parocho revelet.

2° NORBERTUS, Parochus, confessionem excipiens BERTÆ mox nupturæ, detegit eam obstringi impedimento ab ipsa invincibiliter ignorato. Nescit autem quid agere debeat. Monebitne pœnitentem eam obligando ad matrimonium repudiandum, dispensationemve postulandam? Postulabitne ipse licentiam impedimentum istud declarandi? Aut tacitus BERTAM absolvet? Undique illum premunt angustiae, incommodaque non parva. Denique jubet eam redire die sequenti, ut melius ad absolutionem præparetur, sed revera ut ipse inquirendi tempus habeat.

3° SIAGRIUS et MELITINA mox matrimonio sunt conjungendi. VALERIUS novit certo SIAGRIUM peccasse cum sorore MELITINÆ. Hoc Parocho declarat, sed externas probationes afferre nequit, et ipse non vult nominari. Parochus autem nescit quid sit faciendum.

HINC :

QUÆR. 1° *An laudandus LEOCADIE Confessarius?*

2° *An NORBERTUS BERTAM monere debeat de impedimento ab ea invincibiliter ignorato?*

3° *An Parochus, in tertio casu, matrimonio obstare debeat?*

SOLUTIO :

887. — *R. ad 1<sup>m</sup> Quæst.* HUBERTUS, Confessarius, nedum laudandus, e contrario omni ex parte vituperandus est. Primo quidem, nimio zelo abreptus, munus Patris in Confessione non satis gessit, acriter et intempestive mulierem objurgando. Si voluisset tamen ei obligationem imponere, debuisset prius ejus animum pacificis verbis demulcere, et præparare ad obedientiam sibi præstandam. Deinde HUBERTUS non debuit præcipere LEOCADIE ut Parocho impedimentum revelaret et explicaret, propriam turpitudinem aperiendo. Nemo enim tenetur legi Ecclesiæ cum propriæ famæ damno satisfacere, ut sentiunt communiter Theologi. *S. Lig. n. 995. — Hom. apost. n. 56. — Carrière, etc.*

Quid igitur Confessario faciendum fuisset? Debuisset pœnitentem enixe adhortari, imo et obligare, ad ipsum sponsum secreto monendum de impedimento illo ex mutuo consortio exorto, ut ipse aut a matrimonio desisteret, aut dispensationem obtineret. Quod si sponsus obedire noluisse, mulier curare debuisset ut, salva propria fama, Parocho declararet, sive per se, sive per virum prudentem, v. g. per Confessarium, subesse matrimonio impedimentum.

888. — *R. ad 2<sup>m</sup> Quæst. Affirm.* Debet enim Confessarius impedire, in quantum potest, gravissimum damnum spirituale pœnitentis, seu impedire quominus hic invalide matrimonium contrahat, et nullum evadat Sacramentum, quod magnum est *in Christo et in Ecclesia*. Non urget hic tanta difficultas ac habetur quando, contracto jam matrimonio, impedimentum dirimens a Confessario detegitur. In hoc enim posteriori casu summopere cavendum est ne pœnitens bonæ fidei statim moneatur cum periculo formaliter peccandi in usu fornicario matrimonii, sed curandum est ut prius dispensatio secreta obtineatur, si fieri possit. Ante matrimonium autem pœnitens adhuc liber non versatur in proximo peccandi periculo. Quod si admonitus, neglecta dispensatione, nihilominus nuptias petat, id suæ malitiæ imputare debebit. Excipiunt tamen merito plures Theologi casum in quo prævidetur pœnitentem certo non obtemperaturum, quod non est communiter præsumendum. Laudandus autem est NORBERTUS, Confessarius, ex eo quod prudenter tempus adhibuerit ad difficultatem serio perpendendam.

889. — *R. ad 3<sup>m</sup> Quæst. Affirmative*, si VALERIUS sit homo gravis et fide dignus. Etenim, si fama impedimenti, ex Jure can., sufficit ut Parochus obsistat matrimonio, a fortiori si certo ipsi constet subesse impedimentum. Insuper unicus testis fide dignus sufficit ut Parochus matrimonium impediatur, licet comparere nolit, ut constat ex Declaratione *Alexandri III, c. 13, de Sponsalibus. — Pontas, verbo. Bans, cas. 12.* — Quod si Parochus nimis prematur, quia impedimentum probare nequeat, rem Episcopo deferat, qui ipse obstabit matrimonio, vel dispensabit, si expediatur. *Carrière et alii communiter, contra Collet et alios plures.*